

*S. Cœnam dispensari debere sub utraque: imagines retinendas quidem, non tamen adorandas esse: Confessionem auricularem, Orationem pro defunctis, & indulgentias rejici oportere: Clericis permitti debere matrimonium &c. Denique Græcos cum A. C. sociis in quamplurimis doctrinæ capitibus, in quibus alioqui a Pontificiis disident, consentire, collatis inter Jeremiam Patriarcham CPranum, & Tubingenses Theologos sententiis patuit, de quo Vid. Acta t. t. Tubingæ publicata, in quibus, R. II. f. 200. ipse Jeremias Tubingenses, his verbis alloquitur: Non minimum letatur mediocritas nostra, quod in multis (& ut alibi dicit, ἐν κυριωτέροις) vestra doctrina cum nostra consonat Ecclesia. Conf. B. Veilius de Ecclesia Græcanica, & Kromayerus in Scrutin. relig. de Anatolic. p. 263. sq. Floruit autem etiam externe & civiliter Ecclesia Græca per omnia illa secula, quibus sub jugo Pontificis Romani omnium maxime gemuit Ecclesia Occidentalis, cum annis non usque adeo multis, ante emendationem religionis per Lutherum, capta sit a Turcis Constantinopolis, Græcorumque in Oriente imperium eversum.*

§. XXV. Remittimus II.) ad Ecclesiam *Waldensem* in Occidente, cujus quæ fuerint dogmata, *Aeneas Sylvius*, Histor. Bohem. c. XXXIV. p. m. 67. sq. exponit: *Pestifera*, inquit, *ac jam pridem damnatae factionis dogmata sunt: Rom. Prasulem reliquis Episcopis parem esse. Inter sacerdotes nullum discrimen, Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiozem. Animas e corporibus excedentes, aut in æternas e Vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ sacerdotalis inventum. --- Aquarum, palmarumque benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos demones invenisse. Nullum capitale peccatum, quantumvis*